

**Dissertatio inauguralis medica, qua observationes luculentas medica ... /  
proponit, Nicolaus Fridericus Englert.**

**Contributors**

Englert, Nicolaus Fridericus.  
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Literis Christiani Henckelii, [1713]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/pgvjge4g>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUA

# OBSERVATIO. NES LUCULENTAS MEDICAS,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA,

GRATIOSISSIMO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

PRAESIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,

CONSIL. AUL. ET ARCHIAT. REG. MED. ET RERUM NATU-

RALIUM PROFESSORE PUBL. ORDIN. ACAD. NAT. CUR. COLLEGA LON-

GE DIGNISSIMO, DECANO h. t. SPECTATISSIMO,

DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO

*omni Observantia atque Honoris cultu atatem colendo,*

PRO GRADU DOCTORALI,


Summisque in Arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis

More Majorum solenni obtinendis,

*Ad d. Maii M DCC XIII. horis ante & pomeridianis*

IN AUDITORIO MAJORI

Publico conflictu ventilandas proponit,

NICOLAUS FRIDERICUS  Englert/

RUSSUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Literis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN AUGUSTALIS MEDICAE

QUA

# OBSSERVATIO

## RES LUCULENTAS

### MEDICAS

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

## FRIDERICO WILHELMO

PRINCIPIS BORUSSIAE, MARCHIONIS BRAN-

DENBURGICO, RHEVANI

IN ACADEMIA FRIDERICIANA

GRATISSIMO FACULTATIS MEDICAE CONSENSU

PRAESIDE

## N. GEORGIO ERNESTO STAHL

DOCTORI AULICO ET ARCHICAMERARII, MEDICI ET RECTORI NATU-

RALIIUM PROFESSORE PUBLICO, ORDINARIO ACADEMIAE, COLLEGIUM

OB DIGNISSIMO, SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

DOMINO PATRONO, PRAECEPTORE AC PROMOTORE SUO

OB DIGNISSIMO, SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

## PRO GRADU DOCTORALIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA, IN AUSTRIACO PRIVILEGIO

MAGISTRO MAJORI SOLI ORDINARIO

MAGISTRO MAJORI SOLI ORDINARIO

IN ACADEMIA MAJORI

PUBLICO CONSENSU FACULTATIS MEDICAE

## NICOLAUS FRIDERICUS ENGELHART

RECTOR

HALLAE MAGDEBURGICAE

LICENTIA CHRISTIANI HENCKELII ACADEMIAE TYPOGRAPHI



## PROOEMIUM.



**T**HALETEM memorant, quum noctu obambulare, sideribus spectandis intentus, sed gressuum regendorum, eo ipso oblitus, ad scrobem obvium hallucinans, in terram prolapsus esset, ab ancilla lucernam præferente, reprehensum, quod coelum intellectu complecti & metiri, in animum induceret, neque tamen earum rerum, quæ antè pedes essent, satis conscius esse meminisset. Adjiciunt responsum non indecorum altum sapere aggresso; sed certe simplicitatem veritatis, de qua sermo erat, non exhauriens. Certe enim sapientissimè monet suprema sapientia, unum faciendum, & alterum non omittendum: & inconsulta valdè fuisset sapientia Thaleti, si, dum aliquid inter sidera spectat atque notat, graviore lapsu corporis, sanitatis aut vitæ periculum adiisset, quod modica circumspeditione, & cujus nequidem fas sit oblivisci, evitare potuisset. Habet autem certe hæc consideratio justum  
A 2 usum,

usum, tum in omnibus rebus rectè gerendis, tum in nostra etiam Arte medica; dignâ certe circumspèctione atque discreto usu, si quæ usquam alia. Non est damanda curiosior observatio, abstrusiorum, aut rariorum, casuum & eventuum; illud autem certe locum invenire non debet, ut propiora, imo passim obvia, inter quæ velut in dies obambulare necesse est, diligentiam nostram fallant, & parum aut nihil animadversa, cespitandi occasionem præbeant. Quid enim notius est, vel paullulum his rebus animum solertius adplicanti, quam quod a proximis retrò temporibus, nimia illa altum sapiendi lubido, protritas, aut certe passim obvias, contemplationes Indolis morborum, ita propemodum in oblivionem adduxerit, ut universaliore æque atque luculentiores contemplationes, partim Pathologicae, partim Therapeuticae, non potuerint non insigne detrimentum hinc incurrere atque experiri: Tanto magis, postquam, admodum turbato ordine, magis singulares aliquæ contemplationes, præter naturæ ordinem & simplicitatem, in generalium atque universalium locum atque dignitatem translatae, eliciendis inde generalioribus ætiologiis, minus auspicato adhiberentur. Exercuit hæc res jam pridem animum nostrum; interim quum impatiens propemodum, quantumlibet insontium & simplicium, admonitionum, esse soleant animi novitati & πολυπραγμοσύνη indulgentes: non visum est consultum, totam hanc rem veluti simul & semel, ut vulgò interpretantur, eversum ire, & tam anxios curiositatis labores, veluti simul & semel irritos reddere aut declarare. Unde prætulimus, veluti per partes atque pedetentim,

tim, captatis idoneis occasionibus, aliquas tales animadversiones tranquilliori pensitationi commendare. Quod quum per spatium temporis, non jam amplius ita parvum, adspirante Divina veritatis luce, non ita male successerit, quin, quibus est scientia, peritia, & prudentia, *πράξις* simul conscia atque compos, animum monitis his cordatius adjicerent; visum tandem est non amplius immaturum consilium atque institutum, breviori aliquo conspectu, aliquot hujus census animadversiones simul complectendas exhibere. Vnde, cum INAUGURALE SPECIMEN thema postularet, tam Theoriæ quam Praxeos medicæ documenta comprehendens, placuit hoc nomine sistere OBSERVATIONES aliquot LUCULENTAS theoretico-præcticas, ipsa infucata evidentia, non magis notabiles, quam utiles futuras. Quas ut & dilucidè proponamus, & perspicuè exponamus, & insignibus suis vsibus asseramus, Divinam benedictionem, ut nobis clementissime adsisistere dignetur, humillimis precibus imploramus.

§. I.



OBSERVATIONES Theoretico-præcticas aliquot LUCULENTAS, dum Inaugurali nostra Dissertatione proponere & exponere promissimus, fas erit, more solito, mentem nostram circà hujus inscriptionis rationem, brevibus declarare.

§. II.

Placuit adpellare *Observationes*; nempe quia in cujusvis propemodum hominis ipsos sensus, maximam partem,

ita incurrunt, vt non possint non *observari*, agnosci, & memori mente recondi. Ut non tam *dogmatum, præceptorum, axiomatum*, nomina, in illas quadrare videantur, quam simplicior illa *Observationis* adpellatio. Vt nempe non tam auscultare propositioni talium adfertionum, aut illas prolixa speculatione ponderare vel examinare, necesse sit: quam sufficere possit, simpliciter auditas, in obvia, & quâ homines vivunt latissime patente, *experientia*, veritatem illarum, non tam operosè quærere, quam promte atque facile invenire, immo intueri.

§. III.

*Luculentas* adpellare placuit, *duplici* vocis vi atque usu; *Grammatico*, tanquam *evidentes*, & facile atque *clare* conspicendas, imò perspiciendas: *Morali*, dum utique altioribus considerationibus, & latissimè sese porrigenti usui, faciem quasi atque *lucem* præferunt. Unde non immerito *illustres* nuncupare potuiffemus; nisi veritas simplex, verecunda & modesta, verborum coloribus, imo ut loquuntur, lenocinio, indigna visa esset, & recte de illa iam pridem monuiffet poëta: *Ornari res ipsa vetat, contenta doceri*. Unde missis ambagibus, potius simplici passu rem ipsam adimus.

§. IV.

Erit itaque. I. OBSERVATIO, quod *Medicinæ subiectum*, & præcipuum *objectum*, sit humanum corpus VIVUM. Videri posset absurdè huic theoremati destinari nomen *Observationis*; dum nemo tam inconsiderans futurus sit, vt corpori humano *vita destituto*, medicam opem atque artem adhibere, in animum inducat. Interim profecto nomen hoc jure suo tuetur, quum facile doceri possit, quod *schola medica*, in primis *recentior*; hanc rem nequaquam satis *observare* videatur; ex eo, quod laborioso & prolixo conatu vix quicquam aliud agit, quam ut de *materiali* habitu corporis, *simpliciter*, multis verbis disceptet atque commentetur. Quum tamen non tam *materie*, quam *motuum vitalium*,

*um*, sit, *formaliter*, culpa atque damnum, quod *ars* auxiliis suis sublevare, & in libertatem suam adserere atque vindicare, pro vero apice & fastigio intentionis suæ habere debet. Quorsum rectius respexerunt *antiquissimi*, qui, si non totidem *verbis*, tamen ipso *sensu* satis luculento, posteritati supeditaverunt *distinctionem* illam, inter *temperamentum corporis* humani, vt simpliciter *materiati* atque *mixti*, & VIVI. Qua in re conceptui melius declaranda, licet plurimum laboraverint posteriorum seculorum medici; tamen hæsit prope modum ipsis, quod est in proverbio, aqua, & impliciti potius adparuerunt, laboriosis illis distinctionibus, *humidi radicalis*, & *calidi innati*, contra *humiditatem* & *caliditatem simpliciter elementalem*: nempe e non satis perspecto *actu*, *effectu*, atque *usu*, *motus humorum vitalis*, nempe *progressivi*.

§. V.

Illustrat hanc rem II. OBSERVATIO; nempe quod VITA *formaliter*, sit *conservatio corporis animalis*, in sua *mixtione*, ne promptas & prævalidas *corruptiones*, *actu* subeat & incurrat; ad quas tamen non solum, toto *materiali* sui habitu, plane dispositum & proclive est: sed etiam tale esse & perpetuo manere, omni modo *debet*. Est quidem etiam *prius* hujus *observationis* membrum, non adeo ignotum, quin ab omnibus, vel modice rem perpendentibus, facile ad sensum reportet. Adeo, ut nec circa illud hunc denegaturi sint, quod, quidquid *actu* & *formaliter*, sinceram *corruptionem* in corpore subit, non *vivum*, *vitale*; & *vivo corpori* non solum inutile, sed etiam *intolerabile* habendum veniat: Adeoque *vite corporis* non solum inutile, sed & magis magisque *adversum*, æstimandum veniat. Interim, *secundum* membrum indiget omnino aliquanto attentiore *observatione*; quod nempe hæc *corruptibilis* dispositio corporis *materialis*, *debeat* omnino etiam talis esse, *permanere*, *adseruari*, immo quidquid de *quantitate* ejus decedit, non alia, quam

*corruptibili* tali crasi, denuo restaurari atque reparari. Interim, si modo leviter animus advertatur, nulla etiam subest difficultas, quo minus hujus quoque rei veritas, satis agnoscī atque *observari* possit.

§. VI.

OBSERVATIO, vero III. *vitam* hanc *corporis*, præstari eidem, *instrumentaliter*, *perpetuo successu distractionum*, & denique plane *ejectionum* e toto corpore; jam tanto majorem habet *observationis* dignitatem, quanto majoribus tricis irretitos passim invenit hominum animos. Quorum plerique de VITA *absolutè* speculantes, ne quidem ad animum satis revocant, quid sit *Vita corporis*, a qua proprie *corpus* denominatum *vivum*; & cujus læsiones, corpori, quatenus *materiato*, damnum & exitium propius minantur. Ubi etiam, circa *instrumentalem* habitum hujus negotii, altiori caligine adhuc laborant; dum alii *materialem* quandam rem, *corporaliter* conservatoriam, *balsami vitalis* nomine, *spirituum vitalium* titulo &c. hic confingunt: Alii *actionem immediatam*, *inorganicam*, seu *actuationem quàm talem*, à principio eminenter *vivo* dicendo, supponunt; adeoque *vitam* corpori evenire, directe & *simpliciter*, opinantur, *quamdiu*, & *quatenus*, ab hoc *principio activo*, immediate atque absolute *adsicitur*, *agitatur*, *actuatur*, & vt ajunt, *animatur*. Rursum alii, in *remotiore* atque *generaliore* actu, qui in hoc *instrumentali* ordine non nisi *materialis* respectus locum occupat, subsistunt: nempe in *motu progressivo*, seu perpetua *circulatione*, humorum. Adversus quos omnes, nihil facilius & simplicius, neque *luculentius* est, observatu, quam quod *puritas* & *integritas* corporis, nulla alia re manifestius *formaliter* conservetur quam, [contra *priores*,] solo *formali actu* remotionis, & successivæ plenariæ *emotionis*, *alienarum* rerum, è toto corpore: quibus ita ab illo semotis, corpus in sua *homogenea puritate* restitet. Et quod, [contra *posteriores*,] *circuitus* ille perpetuus sanguinis, non solum *remotam*,

ge-

*generalem*, efficaciam hic habeat; sed etiam sub illo, *quà tali*, nempe quatenus *circulus* est perpetuo *in se recurrens*, tamen ultimæ remotiones & emotiones e corpore, lædi atque impediri possint, & ex hoc ipso, *vitali* integritati atque conservationi corporis, certo damnum hinc impendeat. Ubi certè manifestum est, quod assertio illa rem nequaquam exhauriat, quod, si *circuitus* humorum exquisitè liberè procedat, *secretiones & excretiones*, tanquam consequens inseparabile, non possit non pari passu incedere. Quum *circulus quà talis*, versetur circa res tantisper potius *retinendas*, nempe perpetuo circumagendas, non vero aliquas *separandas & ejiçendas*. Quod tanto clarius evadit exemplo *quantitatis sanguinis excedentis*; qui a circulo qua tali, numquam ad *exonerationem* pervenire posset, nisi peculiaris *directio* interveniret.

§. VII.

Subjungimus IV. OBSERVATIONEM, quod homines universim æstimando atque computando, *raris* numero, atque *paucis* specie, morbis adficiantur. Offert hanc observationem, universalis, & quotidiana locupletissima experientia. Pugnat cum hac e diametro, antiquissima jam, [Democriti in epistola ad Hippocratem,] assertio, quod *homo, a nativitate, vel ex ipsa nativitate, & tota sua nativa indole, sit morbus*. Vbi nempe bonus vir similiter offendit, in ante designatum illum lapidem, dum corpus humanum æstimat e simplici ejus *materiali* dispositione, atque habitu summe corruptibili. Non observans, quod indefinentes illi *motus*, qui *vitalem* conservationem illi præstant, pari passu atque jugi gressu, cum hoc *materiali* habitu incedentes, eumque indivulso comitatu stipantes, hanc ipsam *materialem* ejus *propensionem*, tam diu, & tam constanter, (donec ipsorum *visus* gravius infringatur,) occupent & præpediant, ne a *potentiâ* in *actum* corruptionis deduci possit. Adeoque firma atque *luculenta* plane maneat Observatio illa, quod *homo,*

*universim*, raro *ægroset*; & immanis hominum numerus, longo, & passim longissimo, tempore, sanus, & ab omni *actuali* morbo, imprimis qui *artificiale* auxilium postulet, liber atque illibatus vivere, non modo possit, sed etiam soleat. Quæ certe conditio, ex hac Observatione proprie fluens, tanto magis hanc commendat; nempe *differentia* inter illud, quod ex vno latere, & vno respectu, fieri quidem POTEST: Sed ex altero latere, & realis veritatis respectu, fieri nequam SOLET: Imo, quam diu hic salvus manet, in rei veritate, ne quidem fieri atque evenire POTEST.

§ VIII.

Confirmat hoc V. OBSERVATIO, pertinens ad alterum membrum præcedentis, nempe specie *paucos* morbos; commonstrans, solere homini illam *speciem* morbi, *rarissimè* omnium evenire, ad quam *simplicissimè*, & quam maxime *directè*, *materialis* habitus & constitutio corporis, magis *immediatè* propendet: quæ nempe nihil aliud est, quam corruptio liberè & simpliciter *putrida*; in *solidescentibus* corporis partibus, *Sphaceli* nomine notari sueta. Ubi, ut re ipsa sane dignissimum, sed & prudente tamen, & humana ac rationali observatione, factu facillimum est, assertum, à D.D. Præfide prolatum & alicubi repetitum: Quod vix *centies mille annis*, hic morbus semel eveniat. Ita enim certe, si puero, arithmeticam leviter docto, proponatur illud problema: si *bis mille homines*, quorum quilibet *quingenta* annos expleverit, nec intrà hoc vitæ suæ spatium *Sphacelo* unquam correptus sit, sistantur; quot annos hi vivendo confecerint? facile connumerabit puer, quod hi *bis mille homines quingagenarii*, *centies mille annos* vivendo confecerint: adeoque hic morbus tanto annorum numero non obtigerit. Vnde hominem esse non oportet, aut exuere humanitatem, qui hoc intelligere non possit, aut non velit. Interim est hæc certe methodus, ad *paucitatem* æque atque *raritatem* morbo-

borum, recte observandam & æstimandam, uti simplicissima & facillima, ita *luculentissima*.

§. IX.

OBSERVATIO VI. esse poterit, quod homo, nec *facilius*, nec proinde *sepius*, æquilibrium sanitatis maxime sinceræ, temeret & inclinet, quam *abundantia sanguinis*. Quum enim *cupiditas* humana, & *sensuum* lenocinium, nullam rem facilius confundat, quam *adpetitum stomachi*, & *palati*; & proportionem *motus* & *quietis* ad proportionem *edacitatis* & *ingluviei*: præterea etiam ipsa admixta sanguinis *abundantia*, *molestias* quasdam in ordine ad *motus* corporis, faceffat, quas mox *pigritia* atque *somnolentia*, ambiunt atque infectantur: Facile hinc est observare, quomodo *abundantia sanguinis* ultra æquilibrium, & *possit* homini obrepere & *soleat* etiam hoc facere, colludentibus atque illudentibus illis sensuum lenociniis.

§. X.

Qamvis autem non ita planè nuda ante oculos jaceat, tamen certe quoque nec ita abstrusa est, quin, exiguo radio parvi luminis, *luculenter* pervideri possit VII. OBSERVATIO, quod *abundantia* sanguinis, seu quantitas *excedens*, etiam simplicissimo successu *qualitatem* ejus ita alterare valeat, ut tam *generali*, quam *speciali vitali* conservatorio motui, plus solito negotii faceffat. Est vero exiguum illud lumen, quod allegavimus, vnicum illud, quod *mobilitas* sanguinis, quam maxime conservetur & perennet, mediante perpetuo libero atque facili ipsius *motu*; hic vero simplicissime nitatur, tum moderato hujus *pondere*, tum proportionata *mensura*, ad receptacula, viasque & meatus ejus. Quibus rebus per *abundantiam* temeratis, uti *facilitas* motus ejus gravatur, ita effectus hujus, nempe *fluxilis* mobilitas, detrimentum aliquod incurrit. Unde, decrescentibus liberis *exonerationibus*, ulterioribus variis corruptelis, tam plana atque multiplex via sternitur; ut tales variæ corruptelæ,

variis ulterioribus specialioribus pathematibus, inducendis aut fovendis pares, nulla una necessitate anxie arcescendæ veniant à *μυγλοῖς*, sive ut grammatici latini arguantur, *sexcentis* aliis potentiis, & tanquam seorsim existentes, aut certe subsistentes res, & propriam suam ditionem tuentes causæ, allegari mereantur. Quum ex hoc vno fonte, & paucis ejus rivis, tam colluvies illa, quam proluvies varia, satis simplici & proclivi lapsu se diffundat.

§. XI.

Sequitur modo notatam, presso pede, VIII. OBSERVATIO ita certe *luculenta*, vt ne ipsius quidem populi quantamcunque attentionem subterfugere aut fallere poterit; nempe, quod homines, quam maximè, ipso oculorum judicio *sani*, nempe *florido* habitu & colore conspicui, ab illo suo veluti *fastigio* sanitatis, in detrimenta valetudinis inclinent. Notavit hoc jam pridem ipse *Hippocrates, athleticum*, saginatum atque plenum, corporis habitum, non diu in eodem vigore *consistere* posse, animadvertens. Cui egregie succinit sua interpretatio, ipsum vulgus hominum, ab ipsa experientia notans, quod hujusmodi *plenitudine* conspicui, non solum in morbos, sed omnino graviores, propendeant: quod Germani nostri ita exprimere audiuntur: Wann solche, recht gesund aussehende, und wie eine Rose blühende, Leute, franck werden, so werden sie recht franck, es greiffe sie recht scharff an &c. Circa quam rem frigidè philosophatur *Galenus*, quod, quum res hujus mundi, perpetuæ mutationi atque inconstantia subiaceant, propterea, quando sanitas *summum* suum apicem attigerit, quum *altius* ascendere non valeat, & tamen eodem loco *subsistere* non possit, necessario *descendat*. Nullam autem rationem neque afferens, neque assequens, quam ob rem *descensus* hic, non tam per *gradus*, quam per *saltus*, *lapsus*, imo *precipitia*, passim *ruat* potius, quam procedat. Dum interim e præmemoratis, longe clarius dilucescit, quomodo *materia* summe

mè corruptibilis dispositionis , si ipsa *quantitate* exsuperante, præsidium suum conservatorium, *motum liberum* depuratorium, perdat, velut ab vno extremo ad alterum *ruat*, dum corruptio ejus, a semper præsentissima *potentiâ*, in *actum* deducitur.

§. XII.

IX. vero Observationis locum, utique tueri potest, quod, quum tota *conservatio vitæ* atque *sanitatis*, MOTIBUS, ad *secretiones & excretiones* terminandis, unicè peragatur; quando *impedimenta* aliqua subnascuntur, etiam hi *motus* præsidarii; nisi omnia extrema non tam exspectare, quam experiri atque subire placeat, necessario secundum augefcens periculum, *augendi* quoque atque intendendi veniant. Quod cœptum, vti non solum operosius & laboriosius est, quam *ordinarius* & consuetus horum modus atque modulus; si tamen sub toto hoc cœpto, instituto, atque conatu, *exitus*, tam physicè quam moraliter, non plenæ certitudinis fiduciæ absolute quadret: mirum hic esse non possit, si major labor *sensibus*, & major periclitatio, ipsi *intentioni*, plus negotii, molestiæ, vigilantia, & sollicitudinis, facessat. In primis, si labor talis, per *fortuitas* importuniores occasiones, mediis tranquillibus rebus, & operosiori ac ancipiti tentamini nihil aut minus adfuetæ, motuum præsidiariorum cohorti, objiciatur. Quæ certè res prudentiorem æstimationem in multis magni momenti casibus efflagitat; in quibus non solum *utiles*, sed passim etiam absolute *necessarii*, motuum talium *extraordinarii* gradus, connisus, impetus, a male providis, & harum necessitatum minus peritis arbitris, pro *tumultibus* atque meris *turbis* habentur, ab ipso morbo *directe* pendentes, non autem, quod res est, *adversus* morbum fervientibus, imo pugnantibus.

§. XIII.

Damus X. locum luculentæ Observationi, quamvis similiter in præcedentibus jam veluti digito designatæ, quod

in corpore humano, pro *vitali* ejus conservatione, & aver-  
tenda ejus *corruptione*, nullum præsto sit penu variarum *ma-*  
*teriarum*, quæ materiis corruptionem subeuntibus, *materi-*  
*ali* atque *corporali* contactu aut actu, satisfacere, easque sim-  
pliciter *invertere* possint: decantato *physico-mechanico* effe-  
ctu. Sed totum hoc negotium absolvatur, nuda, vt in scho-  
lis loquuntur, *formali* efficacia, & *organico motus* regimine  
atque moderamine. Ut nempe materiæ vel noxiæ, vel jam  
obnoxia, non tam *in integrum* restituantur, quam quantocy-  
us fieri potest, *dimoveantur*, *distrabantur*, & tandem peni-  
tus e toto corpore *emoveantur* atque *ejiciantur*.

§. XIV.

Quæ res clarissime elucescit, ex Observatione XI. sum-  
mo jure meritoque suo *illustrissima* dicenda, nempe *Auto-*  
*negativa* naturæ. Jam pridem nempe hoc non tam notavit,  
quam e prisca medicina connotavit, & ad posteritatem com-  
mendavit, *Hippocrates*, aureo illo effato, quod *naturæ sint*  
*morborum medicatrices*. Quis enim quæso potest nescire,  
quod, (præter solos *manuali* operatione indigentes) nullus  
sit morbus, quem non aliquando, (nempe paucissimarum  
specierum, & fere ad proxime præmissam exceptionem per-  
tinentium:) imo *plerosque*, innumerabilibus exemplis, sine  
*externa* magnifica ope aut *arte*, ipsa natura humana, in indi-  
viduo sui corporis; vel *sciè oppugnet*, vel *feliciter* penitus  
*expugnet*, & immanem ægrorum numerum ita in lanitatem  
vindictatum esse atque indies vindicari, observare liceat. Et  
hoc per *methodum* antecedente § declaratam; solos *motus*  
depulsorios, & tandem *expulsorios*, corrumpentium atque  
corruptarum *materiarum*, *reparationem* vero amissarum.  
Quæ certe *illustris observatio*, fulgidam lucem præfert *arti-*  
*ficiali*, medicinæ; quomodo hæc ipsa hac naturæ *ὀψογεία* v-  
ti, frui, eique *socias* manus & suppetias jungere, non magis  
possit, quam passim debeat, ut tanto securius atque certius,  
quod

quod sæpè sine artis subsidiis ad felicem effectum pertin-  
git, his liberaliter *sociatis*, tanto auspicius absolvatur.

§. XV.

Interim proximam, XII. loco, Observationem, illud ut-  
tique suppeditat, quod *reparationem* quidem per corrupti-  
ones qualescunque sublatarum, aut necessaria jactura, pro-  
ejicienda simul corruptione, amissarum partium, natura so-  
la, ultimò & *formaliter*, absolvere possit atque debeat: nul-  
la vero *ars* humana in hoc genere quicquam amplius possit,  
quam ut, *positivè*, e longinquo aliquid suppeditet, *privativè*  
vero, e propinquo, *impedimenta* tantum removeat atque ar-  
ceat: adeoque utroque modo, non nisi admodum *remotè* oc-  
currat potius, quam succurrat, aut concurrat.

§. XVI.

XIII. Observatio, sistit claræ luci, designationem illam,  
*veræ medicæ* tam theoriæ, quam prudenti praxi, summe pro-  
ficuam; quod nullus vnus sit adfectus, qui ita universaliter  
*omnium* hominum (solis *infantis* periodi subjectis, per ra-  
tiones, neque ipsas ita in tenebris reconditas, exceptis) con-  
ditionibus atque constitutionibus, magis *æqualiter* impen-  
deat & immineat, quam *sanguinis depletoria* evacuatio, seu  
*hæmorrhagia in genere*. Sicut enim prima exquisitæ sanita-  
tis inclinatio, in *abundantia sanguinis* sese manifestat; &  
hoc jugiter per omnium *ætatum* gradus: tanto magis, quo  
magis reliqua plena sanitate fruuntur; Ita nullus etiam *certi-  
or* est, evidentioris talis *abundantiæ* effectus aut eventus, &  
hoc iterum sub reliqua adhuc sinceriore sanitate, quam ut i-  
ta comparata *abundantia*, *depletoriam* evacuationem since-  
ram, seu in genere *hæmorrhagiam*, post se trahat. Adeo-  
que hæc æqualiter, apud omnes post *infantilem*, *ætates*, ite-  
rum repetimus, *in genere*, communi quadam ratione contin-  
gere deprehendatur.

§. XVII.

Sin autem neque pertendat, neque pertingat, *abundan-  
tia*

*sia* talis, ad justam hujusmodi *ventilationem*, sed otiosa magis, atque segni vitæ ratione, non solum foveatur, sed etiam illas *qualitatis* corruptelas nanciscatur, quas supra jam luci exposuimus; Præbet hoc XIV. Observationem, quod etiam illæ *qualitatis* depravationes, non minus *omnis ordinis & ætatis* hominibus, communi quadam, in genere, ratione, immineant atque competant.

§. XIII.

Sicut autem modo dicta simplicior *qualitatis* sanguinis mutatio, (*quantitatis* excedentis promptior *pedissequa*,) major *spissitudo*; *depletoriae* evacuationis *facilitati*, imo tandem *facultati*, luculentum impedimentum objicit; ita satis dilucida hinc redundat XV. Observatio, quod libratus inter *contentionem ad exitum*, & ipsum *exitum* hæmorrhagicum, sanguis, simplici effectu utique, *stagnationem*, stagnatio meatuum *distensionem*, hæ sensibilibium partium *tensionem*, quia tensorios *renisus*: imo vel *impetuosior*, vel *pertinacior*, stagnatio, tenuiorum portionum altiores *diffusiones*, spissiorum *infarctus*, *stases*, *coagulationes*, *corruptiones*, inducere possit, & luculenta observatione teste, etiam passim *soleat*.

§. XIX.

Jam verò tempus est, XVI. loco, Observationem memorandi, propemodum vulgo hominum magis, quam, recentiori inprimis, Medicæ scholæ, luculentam. Nempe quod *Hæmorrhagia* in genere, distrahatur in *species*, secundum certa corporis *loca*; si de hominibus in univèrsum sermo esse debeat, inprimis per certas *periodos ætatum*. Ut *puerili & adolescenti ætati*, per *nares*; *adultæ juvenili* per *pectus*: *Virili*, per *hæmorrhoides*: *Senili* per *mielium cruentum*, exitum affectet. Sicuti *sexui feminino*, per *uterum* & ejus ambitum: magis *αινομαλως* autem, (inprimis huic, longe rarius autem virili, sexui,) per *vomitum cruentum*, exitum quærat. Non fefellit hæc res, simpliciori veritatis Observationi sincerius intentos, antiquissimos, ex & cum quibus pro-

proinde, *Hippocrates*, sub finem *tertiæ Aphorismorum* sectionis, inter *ætatum* morbos, hoc jam solerter distribuit atque annotavit.

§. XX.

Neque vero hoc solum, sed commendavit insimul prudenti considerationi, etiam aliam adhuc, quæ merito XVI. loco stat, Observationem, luce sua illustrem; quod *ætatibus* his diversis, certi quoque *alii morbi*, ita diversimodè, ut quasi singulis (certe intuitu ad minimum familiarioris *frequentiæ*) *proprii*, evenire soleant, circa eadem illa LOCA, & eorum complexum atque propiora confinia, per quæ ipsis *sanguinis eruptio*, si facilem successum invenit, obtingere solet. In quibus enumerandis licet omne punctum non tulerit, viam tamen optimam & ipse institit, & aliis monstravit: tanto magis, quum propemodum *præcipuos* & maxime *fonticos* nominare, non oblitus sit.

§. XXI.

Cui vero XVII. stationem adsignamus, cui solerti arbitro minus luculenta esse potest, Observatio? Quæ est, quod *specificatio*, quæ hos adfectus secundum *ætates*, diversos reddit, magis innitatur diversitati *locorum*, nempe partium, quas occupant; quam *essentiali* differentiæ *indolis* illorum magis in se spectatæ. Cujus nempe *ultimæ* intuitu, omnino utique in eo inter se *conveniunt*, ut *stagnatorii*, *distensorii*, sensibilibiter *tenforii*, *spastici* renitentis, e stagnatione *diffusorii*, & denique per *stases corruptorii*, sint ingenii atque genii. Luculenter autem initia sui capessant, a *redundantia* humorum circa hæc *loca*; *exitum*, juxta alia exempla, moliente, sed hoc non impetrato, in flexus hos atque devios calles aberrante. Quæ certe liquidò perspecta Observatio, clarum lumen accendere potest *arti*, ad planiorem, simpliciore, & hoc ipso *veriorem*, talium adfectuum *pathologiam*; omissis intricatis, & nusquam simplici veritati *historicæ* horum

rum adfectuum, quadrantibus speculationibus, dilucidè per-  
videndam.

§. XXII.

Nulla vero penitè ratione præterire possumus, quin potius luculentæ Observationis dignitate, XVIII. loco memorare debeamus, quod, sicuti *fœminæ*, *statis* exonerationibus sanguinis ita addictæ sunt, ut has vix ullus hominum pro *præternaturali* quodam adfectu in illis, arguat aut agnoscat; tantò magis, quum his, solum bene atque liberè, procedentibus, tanto certius & sincerius *sanae*, & incolumes atque salvæ, spectentur: Ita, quando evacuationes hæ, quodcunque, tanto magis autem insigne, *detrimentum* incurrunt, tunc non solum *in genere*, notabili proportione, sanitatis damna incurrere, atque morbis obnoxia fieri sentiantur: Sed, quod *fulgidam* observationis lucem detegit, non solum *proprie*, sed & *eminenter*, *ipsis talibus* morbis, quales ab *hæmorrhagiæ in genere*, iusto & æquo eventu *sperando*, sed ad *exitum* non æque perveniente, pullulare & subnasci, proximis observationibus adferuimus. Quæ certè res, quum ita comparata sit, ut vix plebis solertioris, vel sensum vel intellectum, subterfugere possit; quanto indignius esset, Artis medicæ theoriam atque praxim professis, vel non *posse* comprehendere, vel non *velle* debite comparare, & vsibus, tam *Pathologicis* veris, quam *Therapeuticis* atque *practicis*, adplicare, conciliare, atque adhibere. Nos certè, qui ad talem lucem pertinaciter cæcutiunt, non tam *voluntatis*, quam *intellectus*, imo *sensuum* vitio, id facere, pro certo habemus.

§. XXIII.

Ordinem XIX. tribuimus illi Observationi, quod, sicuti nulla ægritudo *frequentioribus* exemplis obtingit; nempe *fontica* imprimis, & *latius* œconomiam vitalem afficiens; quam varii generis *febres*, sive, ut in scholis loquuntur, *Febris*

*bris in genere*; & in nulla quoque alia ægritudine, manifestiores sunt atque luculentiores, tam *concurfus*, quam *effectus salutare*s, *motuum vitalium*, per *secretiones* maturas, atque ordinatas, & proportionatas, aliena emoventium, ut propria sua bona, illibata atque liberata corpori remaneant: Ita etiam nihil luculentius colligi inde possit, quam quod *Febres*, *in se* & secundum veram & sinceram suam indolem, spectatæ (nempe *accidentalibus* gravioribus impedimentis non prægravatæ,) sint talis *adparatus motuum vitalium auctiorum*, qui revera *salutariter*, *materiis* morbidis, propiore efficacis conservationi vitali corporis periculosis, & physico-mechanica aptitudine quadret, & finaliter ad hunc scopum destinetur, suscipiatur, atque dirigatur.

§. XXIV.

E qua Observatione, spontè quasi fluit ulterior, XX stationem promerens; quod complexus omnium illorum *phenomenorum*, (quæ vulgo *symptomata* morbi vocant,) *que* in sensus incurrentia, uti pro *Febre*, nec sic male, habentur, ita tamen pro *morbo*, aut, respectu corporis *passivis symptomatibus*, nempe a *morbo directè* pendentibus, *sanitati*, imo *vite*, *periculosis*, effectibus, penitus inique habeantur aut declarentur. Sed unice *materia* illa, PROPTER quam hic motus auctiores suscipiuntur, & sive *gliscentes* atque ingruentes, sive *pullulantes*, ejusdem *effectus*, verè sint ipse *morbus*: Quibus ipsis *occupandis*, & *præfocandis*, *motus illi febriles* efficaciter inserviant: adeoque non non AB illa materia pendeant, sed actu CONTRA illam stent, valeant, atque fiant.

§. XXV.

Illustrat hoc negotium, XXI, *illustris* planè, Observationis locum explens, prudens plane descriptio *Hippocratica*, *Morborum acutorum*; si non secundum *præjudicium*, quod ipsi optimo. Seni imposuit, sed secundum manifestam descriptionis, seu descriptæ rei, *veritatem*, explicatio & applicatio instituat. Nempe memorat *Hippocrates*, a pri-

scis jam ante se, temporibus, non *Febres*, sed *morbos*, ACUTOS dictos fuisse, *Cynanchen*, *Peripnevmoniam*, *Pleuritidem*, & *his similes*. Subjungit autem ipse quidem: *quorum* (morborum) *Febres*, ut plurimum hominem occidunt. Quum autem hi *morbi*, quos nominat, nihil aliud sint, nisi *interiorum* partium profundiores atque latiores *inflammationes*; & quos his *similes* designat, nihil aliud esse intelligi possint, quam aliorum quoque *viscerum*, (ventriculi, hepatis, splenis, mesenterii, intestinorum, diaphragmatis, uteri,) exquisitæ, *inflammationes*: quis quæso diligens atque prudens observator, temerè decernere in se recipiet, si quis æger illis moriatur, quod non tam ipso tali *morbo*, *inflammatione* inquam *visceris* graviore, sive *sphacelosa*, quàm tali, vel potuerit interiore, vel *actu* interiuerit: sed potius *Febre* talibus morbis accedente. Et quis non potius, æquus atque incorruptus arbiter, comprehendere poterit, quod *Febris*, coortis aliunde hujusmodi *inflammationibus viscerum*, superinducta, potius bonâ *intentione*, licet non æque felicis effectus compos fiat, concitata sit. Quum enim *inflammationibus*, omnium securissimum atque saluberrimum auxilium, aliud nullum obtingere possit, quam ut sanguis in *stasi* prolapsus, iterum *dissolvatur*, *abstergatur*, *distrahatur*, adeoque *pars* ab illo obfessa liberetur; hoc autem, propriis naturæ viribus, aliter fieri non possit, (ut in *Peripnevmonia* & *Pleuritide*, salutariter cedentibus, actu fieri solet,) nisi *aucliore motu locali sanguinis*, tam diu continuato, donec hunc effectum exsecutus sit: *talis* autem potentius actus motus sanguinis, *diu* plus minus æqualiter continuatus, nullum aliud *nomen* habeat, quam FEBRIS (continuæ) Quæ melior in toto mundo inveniri poterit *consequentia*, & inde elici sanior *collectio*, eâ quam indicavimus: nempe, quod *morbis acutis*, nempe *viscerum inflammationibus*, concurrens *Febris* continua, nulla *physicâ*, (quum *inflammatio*, imo mortifera corruptio *sphacelosa*, utique esse possit *sine febre* stricte dicta)

ta) sed finali ratione, imo PROPTER hunc finem, *absoluta necessitate*, fieri debeat atque fiat: & quando æger moritur, sic adfectus, ille non tam *febre*, quam *inflammatione* illa insuperabili, periisse, judicandus sit.

§. XXVI.

Ubi certe non possumus, quin *Theoretico practicam*, pariter luculentam *Observationem*, XXII. subjungamus. Nempe, quod iniquissimi videantur arbitri, qui *febri*, veri morbi culpam ex eo imponere annuntur, quod non solum *febricitantes* passim moriantur, sed quod etiam, nisi violentis casibus repentinis, vix quisquam homo moriatur; quin plus minus evidens *febrilis* commotio vnà concurrat. Sed præterquam, quod inique hic peccetur contra vulgatum illud: *Consiliarius non tenetur de eventu*: & non vituperio, sed laude certè dignus sit, qui *quantum* usquam *potuit*, calamitati renisus est, si vel maxime tandem illi succumbere cogatur: Ita illud solum *κατὰ ἀνθρώπων* allegare, & hoc argumento ipsos medicos arguere, jus fasque erit, quod ex hoc illorum fundamento, etiam ipsi Medici, cum omni ipsorum *methodo* & *medicamentorum adparatu*, *morbis* & *caussa mortis* dicendi forent, quoties, sub omni illorum conatu, tamen æger moritur. Unde à scholis discere & audire debent tales, distinctionem, inter *causam per se*, & *positivam*, & per *accidens*, & *privativam*, atque *defectivam*: ita invenient tam sibi, quam *febri*, tutelam, quando non *positivè*, sed *defectivè*, causa mortis sunt; quatenus *bonos conatus*, *potestas effectus* destituit, & potentiori morbi vi succubuit.

§. XXVII.

Progredimur ad XXIII. *Observationem*, quod *gravissimis febribus*, *contagiosis* imprimis, passim immensum quantum major hominum numerus, salutariter perfungatur, & ab illis ad sanitatem *restituatur*, quam *artis*, *manifesto* atque *directo*, auxilio. Radiat hoc sua luce, splendida prorsus atque nitida, exemplo illo notissimo *Variolarum* atque *morbillorum*; quibus integræ hominum *μυριάδες*, sola continen-

tia & tranquilla quiete , salutariter perfunguntur. Adeo, ut moraliter certi simus , facilius *centum* numerari posse, è quibus *unus* forte desideratus sit, citra ullum directum artificium superatis variolis ; quam quilibet medicus, repeto, *directo* atque *vero artificio*, (alia ratione exquisita, quam isti convaluerunt,) *decem*, propemodum dixissem *duos*, producere possit, quin *unus* ex illis desideretur. Meretur autem certe hæc Observatio cordatam considerationem , etiam in ipsa *Peste* ; e qua passim invenire licet qui evaserit, sine ullo artificio ; à præcipua *energia*, aut certe *synergia* naturæ *alieno*. Sicut etiam in aliis febribus, v. g. *veris biliosis*, passim *vel sine*, *vel præter*, imò non rarissime *contra*, *artis* intentiones atque opem, facta tandem *elisione* biliosi fomitis, homines ad sanitatem revertuntur.

§ XXVIII.

Manu ducit hæc res, ad Observationem, & utilitate, & honestate luculenta, XXIV. numero. Nempè, quod Ars medica, summa utilitate, hujusmodi *spontaneam* energiam naturæ, vel animadvertere, & consiliis regere ; vel *Synergia* sua sublevare, & cum ipsa prudenter & fideliter, *conspirare* debeat : nisi quidem contra *honestatis* rigidiorum normam impingere velit, ad minimum inficitæ notam incurrendo, *equivoca curatione*. Nempè simpliciter directè *arti* suæ imputando atque vindicando, quando æger ex aliquo tali morbo salutariter evadit : quando vero eodem alii moriuntur, simpliciter *naturam* inculpando. Quæ certe sive imprudentia, sive aliquando calliditas, non jam amplius ita dissimulari potest, quin vel rusticis suboleat, alibi latere errorem. Interim, quam luculenta est observatio, postulat tamen oculos etiam nulla obscuritate laborantes, ad recte pervidendum, in *hypothesi* & per *species*, quod in *thesi* & in *genere*, fatis videt verum, certum atque rectum esse. Tantò magis autem, ad harum duarum Observationum eò feliciorum perceptionem, commendamus adhuc, iterum iterumque,

que, generaliore illam, quam jam supra quoque non sine prægnante causa laudavimus, nempe ut tam in omni morborum genere, quam in *februm* censu, secundum genus atque species, quam maxime ex *universali quotidiana, copiosissima, experientia*, quilibet solers medicus hanc observationem exquisitius sibi cognitam & perspectam reddat, *quantum, & qua ratione atque methodo, salutaribus moderaminibus, intentionibus, atque directionibus, vitalium secretoriorum & excretoriorum motuum*, natura ipsa sibi consulere, non solum moliatur; sed etiam numerosissimis exemplis, illud ipsum ita feliciter absolvat, ut ipsa hæc ratione, magnus mortalium numerus, ab ejus modi morbis, vel *sine omni externæ artis* aut opis interventu, vel certe *sine tali*, cui eximie partes attribui possint, à morbis talibus liberati, ad sanitatem revertantur. Ubi nempe jure meritoque optari posset, ut vel *Hippocrates* libros suos *Epidemicorum*, hac methodo luculentius conscripsisset; vel tanta series postetorum, hunc hiatus explevisset. Quis enim æquus, atque simplici oculo & animo utens lector, quando toties invenit ab *Hippocrate* memoratum, quod in Febre *aliqua* Epidemica hoc illud fonticum symptoma sese exseruerit: mox autem ejus rei, *unum* solum, aut *alterum*, exemplum producit: non tam temerè intelligi possit, quod plerique, nedum omnes, eadem Febre adfecti, illud ipsum quoque symptoma incurrerint. Tantò magis, quum etiam bene multa talia exempla prolata, *lethalem* exitum post se traxerint; quo intuitu utique magna pars populi ita interitura fuisset, eoque ipso nihil attinisset, *paucis* quibusdam exemplis hoc testatum reddere voluisse. Ut ad eò, Quam *Hippocrates* hoc ipso, non nisi *aliquot* admodum *males* eventus febrium talium, consignare voluisse adpareat: tantò utilius futurum fuisset, si plurium, immo fortè plurimorum, etiam mentionem fecisset, quomodo in illis *eadem* illa Febris, sese gesserit atque decesserit. Quod certè illum usum habiturum fuisset, ut inde colligi potuisset,

an in *aliquibus* tali febre adfectis, coortum symptoma tale, *per accidens* forte obtigerit: cui rei adhuc plenior lucem sine dubio attulisset, si etiam eorum, quos memoravit, *corporis habitum, vitæ genus, reliquum morbi progressum, & quomodo sub eo sese gesserint*, quantumcunque succincta sua scribendi ratione, tetigisset.

§. XXIX.

Quæ ipsa postrema consideratio, nobis persuadet, ut **XXV.** locum demus, certe nullatenus obscuræ illi Observationi, quod magnus numerus, in primis posteriorum temporum, *historiarum medicarum Clinicarum*, insignem illum usum, quem alias assequerentur pro veritate luculenter stabilienda, propterea non adsequatur, quia modo laudatæ illæ *circumstantiæ* immo insuper passim etiam omissa mentio, quibus *methodis aut remediis* tractati fuerint, omittuntur. Unde semper nobis placuit, ad exemplum meritò laudandus candor *Lælii à Fonte*; qui historiis atque consultationibus suis, non dubitavit subicere eventum, quem habuerint: non reticendo passim etiam *minùs prosperum*. Dum, ex adverso, valdè multæ Observationes propiorum temporum, ita comparatæ sunt, ut justissimam subinde suspicionem faciant, supra laudati illius *Diogeniani* moniti, vel negligenter, vel callidè, sepositi. Sicut, ex adverso, nemo certè eximiam suam laudem in hoc genere dubiam reddet *Petro Foresto*, qui in *exacta descriptione morborum* æque, atque *ægrorum*, omnibus aliis ita anteferri meretur, ut profectò pauci cum ipso conferri mereantur; inter quos merito suo laudamus *B. Michaelem Etmullerum* cui; ut aliàs hujus scriptoris, cum optimo judicio fautori, morborum solertior descriptio in praxi suâ, pariter placuit: Illam tamen adhuc prærogativam retinente *Foresto*, quod, ut in *exemplis* locus atquè tempus erat, etiam de *ægrorum* habitu, *ad morbum & in morbo*, passim dignissimas scitu, & notatu, descriptiones adjicit: inter quas nec illa ultimum locum tuetur, quod subinde mentio-

nem

nem facit, *diversorum* morborum, *uni* eidemque subjecto, diverso tempore obortorum: Utili, ad *Pathologiam conspirantium dispositionum & adfectuum*, symbolicam, vel instituto, vel eventu. Ceterum, peculiaris Observationis locum non meretur, quod in scribendis *mutilis* ejusmodi historiis, non pauci certe sedulitatem suam collocent; qui vel per *paucitatem* ægrorum, suæ praxi oblatores, debitam hanc *ægræ* *βεβαιον* nondum adsecuti sunt: nec interim hanc rem, è laudabili tali aliorum labore, præcognitam acquisiverunt: vel inter ægros *robustioris* indolis, & *agilioris* vitæ rationis, occupati, dum magis artis suæ adhibitæ ostensioni student, scopulum illum *æquivocæ curationis* recte distinguendæ, non satis feliciter evitare possunt.

§. XXX.

Quam ultimam certe rem, utut luce meridiana luculentior, nihilominus necessitas planè, ut sunt res mortalium, postulare videtur, ut XXVI. Observationis loco allegemus. Quando æger aliquis, sub Medici consiliis & subsidiis, morbum aliquem superat & evadit, fit satis familiariter, ut Medicus hujus eventus gloriam, *in solidum* ad se & suum artificium ita trahat: ut non solum a se sanatum esse ægrum, pro certo habeat: sed vel Jovem lapidem jurare paratus sit, nisi his ipsis artificiis usus fuisset æger, in longe majus sanitatis, immo vitæ periculum, certo certius prolapsurum fuisse. Interim, anceps hoc efficit judicium, illud, quod passim inveniuntur multi homines, qui, sive eodem, sive diverso tempore, *eodem* tali morbo adfecti, vel *nullis*, aut *paucis*, vel *alibus*, immo non rarò admodum *diversis*, remediis, nec *incertius*, neque *tardius*, neque *difficilius* aut incomodius, pariter sanati fuerint. Ubi omnino sana ratio dicat, quod nulli methodo aut remedio hæc saluberrimæ efficaciam laus vindicari possit, nisi similes morbi, iisdem, *certius*, *citius*, cum majore decursus *tranquillitate*, *æqualitate*, *mitigatione* sincera & constante, & *matura* atque *sincera* sanitate subsequen-

D

te,

te, absolvantur atque percurentur: quam vel *sine*, vel certe *ab aliis*, remediis. Talium autem historiarum sinceræ commemorationes, & non aliæ, si scriptæ aut scribendæ essent, justus metus est, ne passim præla circa hoc subjectum, non sudarent, sed arescerent.

§. XXXI.

Observatio XXVII. commendabit, satis luculenter notam & notandam, plerorumque, revera in praxi numerosa versantium medicorum, adsertionem, immo usum atque morem, quod ad felicem praxin, non opus sit *prolixo* adparatu *numerosorum* medicamentorum. Quæ res, licet etiam minimè raro illis in ore sit, qui non tam fidæ experientiæ testimonio, quam cœca *fiduciâ* atque confidentiâ, in nimis quam pauca, & ipsorum judicio *universalia*, remedia (sub sui ipsorum etiam simplicitate) omnem spem collocatam habent: stabilitur tamen, justiore quoque peritorum practitorum consensu, majore cum discretionem, ea tamen præcipua differentia, ut hi tales nusquam simpliciter & indifferenter, quod alteri illi faciunt, *remedio ipsi* sufficientiam hanc ad signent; sed peritè, & *morbi indoli*, & *naturæ energiæ*, & tempestivo atque *opportuno*, secundum has circumstantias, *usui* medicamenti, partes suas asserant. Quo intuitu dilucescit, quantò magis respicere deceat, rerum suarum satagentem felicitis *πελάγως* sectatorem, ad hujusmodi medicationis, *remediorum* inquam, atque *methodorum*, *selectum*: quæ illum eximat ab *ediscendis*, & temere *tentandis*, prolixis illis commentariis, in *omnem* materiam medicam. Unde immortalis certè laude dignus est, in hoc genere, conatus *B. Ludovici*: nisi, quod in laudem potius candidissimi viri, quam ullam injuriam, dicere laudeamus, quod *perperam*, scriptum, antiquam virtutem atque fidem ostendens, *moderno seculo accommodandum* censuerit: quod totum *polypragmosynæ* dicatum atque devotum, potius ut in omnibus rebus, ita in hac quoque, nihil nisi luxum atque fastum, ambit atque amat. Qui interim etiam, quod quidem ante jam mo-

nuimus, in eo se exferit, quod non ita pauci, equidem propositum illud, quod ipsa hac Observacione laudavimus, imitari præ se ferant, interim *paucioribus* medicamentis, *altifonos*, sed veritatis *inanes*, titulos prætexant: quibus deinde nusquam respondens effectus, interim etiam à meliorum, atque magis fidorum, & meritò seligendorum usu, & ipsos, & quotquot illis temere auscultant, avertit.

§. XXXII.

Observacionem XXVIII. dicamus, *prærogativæ* energię jam repetito laudatæ, ipsius *naturæ*, præ *medicamentorum* efficacia. Non quidem simpliciter sensu *absoluto* seu *exclusivo*; quasi semper, imò solum ut plurimum, *totum* negotium *naturæ* relinquere, & otiosum spectatorem agere, conveniat; vti turbulenta capita irrationalibus suis collectionibus subsumunt: sed tamen ita notatu atque intellectu dignissima, comparatione, atque respectiva proportione, ut è necessario operationis atque *actuacionis* ipsius naturæ, cum *medicamentis*, intuitu, perpendatur, quam prudenter *Ars*, *subordinando* potius, quam primores partes capeffendo, gerere atque regere debeat suum negotium; ne *societatis* leges, cum spontaneâ naturæ *energia* observandas, temeret. Sicut enim asserti nostri veritas, statim ex eo elucet, quod medicamenta pleraque, certe paucis exceptionem admittentibus ipsius *naturæ* energia in effectum deducenda veniant; aut ipsius hujus energię, varios *gradus*, atque peculiare *directiones*, caute *promovendas*, concernant: & hâc *deficiente*, *tergiversante*, aut *reluctante*, vel plane *nullum*, vel non, nisi *heteroclitum*, effectum nanciscantur. Ita dilucescere quoque potest rei veritas, ipso illo velut experientiæ documento, quod v. g. in *Febribus*, ubi jam ipsa natura ad opportunas certas *exoneraciones*, inclinare & procedere solet, v. g. *ex*, *anthematum* exclusiones, *tempestivas* sudationes; aut, alibi passim, ad *vomitum*, ad *alvi* excretiones, ad *mensium* fluxum &c. Ibi ars, non nisi temere suscipere possit, jam spontè pro-

cedenti naturæ, *in eodem gressu* concurrere; nempe ad ipsos tales *motus*, adhuc *stimulos* adhibere; aut *maturitatem*, & *justam opportunitatem*, *præproperis* suis consiliis aut auxiliis, antevertendo turbare. Quæ consideratio certè subinde, in fonticis adfectibus atque casibus, eminentem locum sibi vendicat.

§. XXXIII.

Subsequitur Observatio XXIX, quod admodum frequenter, modo dicto scopo, longe concinnius atque utiliùs fatis fiat *materiarum*, potius, ad obsequendum justis motibus spontaneis, artificiosa *præparatione*; quàm *motuum* ipsorum, *provocatione* aut incitatione. Sicut enim ad ipsa *principia mechanica* pertinet, *actum* ipsum *motus* non suscipere aut moliri, antequam *subjectum* ad subeundum motum *habile* sit redditum; ita certe in *vitali œconomia* corporis, sæpenumero *moræ*, *trixæ*, aut *turbæ*, justorum & sufficientium *motuum*, non magis aliunde oriuntur, quàm a *materia*, ad obsequendum, debitis motibus salutaribus, *impari* constitutione: Quæ, meliore, sive per tempus ipsum, sive per idoneum artis subsidium, impetrata, fatis *promptè*, *ordinatè*, & *constanter*, natura ipsa deinde, *justos* & convenientes *motus*, pro excludenda tali molesta aut noxia saburra, ita *sponte* sua exsequitur, ut horum peculiari *expectatione*, neque *opus* usquam sit, nec illis propemodum securus *usus* relinquatur, nisi, præsertim in *sensibiliore*, morbi, aut ægri, indole, *justo plus* agere, & *novas turbas* concitare, periclitari placeat. Pertinet autem ad hanc observationem, tanquam specimen quoddam, monitum practicum, ab omni jam antiquitate inculcatum de *coctione* humorum in *febris*, ejusque *signis* prudenter observandis, & *crudis non movendis*. Ut simul non inconsideratè negligendum venit, (sub prætextu malè intellectæ humorum *crudorum turgescentiæ*,) longe alia ratione solidè practicum effatum *Hippocratis*, quod *ut plurimum*

hu-

hujusmodi *turgescencia*, festinatas commotiones saltem *permittens*, nedum *postulans*, repeto, *ut plurimum non occurrat*.

§. XXXIV

Observatio XXX. commendabit prudentem discretionem, *Alterationis* materiarum *strictè* dictæ, seu *absolutæ*; & *respectivæ*, nempe ad *subjungendas* idoneas *evacuaciones* planiorem viam sternentis: quæ nempe est ipsa illa *preparatio* materiæ, de qua modo locuti sumus. De *absoluta* verò illa, noxias materias simpliciter ita *subigente, invertente, & simpliciter corrigente*, ut earum plus minus peculiari *evacuacione subjungenda*, plane non sit opus; asseveramus, quod talis, nisi *paucissimis* exemplis, planè non sit in artis *potestate*. Ubi certe meretur solertem atque sagacem pensitationem, consensus totius chori Antecessorum Medicorum practitorum, quem, partim *præceptis*, partim *exemplis* practicis, posteritati testatum reliquerunt. Dum nempe longe maximam partem, *alteraciones* laudatas, plus minus diferte ad *subjungendas* evacuaciones direxerunt. Cum qua *methodo*, si conferantur postremæ Scholæ Medicæ conatus, quamvis inter varia opinionum schismata, in eo tamen sic satis inter se conspirare deprehendetur, ut vel *nudis* materiarum *alteracionibus*, seu, ut loquitur, *inversionibus*, (fraude, ut probabile est, nugatorum, *Paracelsi*, tamquam auctoris, nomen prætendentium illecti, qui plane *venenum in alimentum* convertere, & *viscera*, ad frustuli reliquias absumta, restaurare pollicentur,) spem suam impendere audeant: vel *præ postera* alia ratione, materiam mox, *crudam*, maxima sui parte *evacuando* auferre, & residuum in auspicata hac *inversionis* arte edomare, obstinate sibi proponit.

§. XXXV.

Observatio XXXI. tamen necessaria erit, ad utilem quidem, sed non, nisi *justo usu*, effectum suum adsequentem, *distinctionem*, intra justos suos limites coercendam. Dum videlicet *alteratio*, non tam nudè & simpliciter *materiis*, sed ipsis

etiam *motibus*, adhiberi potest. Hic tamen observamus, *duplici* ratione communiter *errorem* committi posse, imo *solere*. *Primo*, dum passim nimio plus nudæ illi atque simplici *alterationi* materiarum potius, intenti sunt animi; quam tamen ne quidem perpetrare & *absolvere*, in *potestate* nostra positum est: *Secundò*, quod alteratio illa *motuum*, quum in illam longe plus *artis potestati* concessum sit, ingentem certe *prudentiam* requirat, verò intellectui, de *genuino usu* illorum *motuum*, quibus alteratio adhiberi, debeat, superstructam: ut illa *Medica*, nempe & factu *neccessaria*, & effectu *salutaris*, sit & evadat. Quamvis enim hæc *distinctio*, illam confusionem tollat, quæ, ex inconsiderantiâ purè *empiricæ* praxi familiaris est, ut *materias* oppugnare allaboret, ubi sæpe non tam amplius *materiæ*, quam proportionis solius *motuum*, vitium subest; aut contrà, in *motus* pugnet, ubi potius *materiæ* habenda esset ratio: Ita offenditur tamen satis familiariter, sub hac ipsa *distinctione*, in verum ejus *sensum*, imo *neruum*. *Primò* quidem *generaliter*; tum luce meridiana clarius est, quam parum, vere distincto & dilucido conceptu, perspecta sit, partim *utilitas*, *habilitas* inquam ipsa, *motuum vitalium*, in corporis variis *operationibus* susceptorum: partim ipsa *neccessitas* eorundem, ad corpus *sublevandum* iterum, atque *salvandum*. Ubi nempe, certò errabit, nisi harum rerum & optime intelligens, & recte memor, sit Medicus, ut *motuum* talium *alterationes*, secundum *materiam* substratam, debita *temporis*, *gradus*, atque *loci*, ratione habita, *opportunè* instruat & gubernet: Imo sæpenumero etiam illud prius exquisite prospectum habeat, quod *secunda* retrò Observatio exigit, annon potius exoptatum *moderamen motuum*, quod artificiali illa *alteratione* adgredi *neccessarium* videtur, solius *materiæ* movendæ, ad faciliorem motum *preparatione*, & longe *securius*, & longe *certius*, adsequi detur? Ubi certe indiscreta illa festinatio, ad *vomitum* simpliciter, *catharticas exstimulationes*, *sudationes*, *sanguinis expulsiones*: aut contra

*adstrictiones, repulsiones, Narcoses*, tam longe tranquilliore, quam solidiore, successu & eventu, tam *præservativè* quam *curativè*, omitti possent, imo deberet, quàm, *luculentâ* hac observatione, non sedulò perspecta, passim evenire, locuples experientia testatur.

§. XXXVI.

Quum autem altera thesi mentionem fecerimus, etiam erroris, circa *motus* illos *in specie*, quorum *alterationi* studere, non tam *videri*, quam *esse* necessarium, possit; quamvis proximo §. jam illum innuerimus, formula illa, *vitalium motuum, extra ordinem* (nempe sanitati dicatum) gravato jam corpori, *fortiore gradu* adhibendorum: Suadet tamen, supra jam meritò notata, propemodum universalis confusio, imprimis circa *febrilium*, tum etiam aliorum quorundam *acriorum, motuum*, utilem *intentionem*, & salutarem *efficaciam*, prudenter æstimandam; ut adhuc semel commendemus, etiam *specialiorem* talem discretionem, circa *potestatem* motuum, dextre & convenienter *alterativam*, prudenter in effectum deducendam. Quoties enim v. g. evenire solet, ut ad *cholericos* importunos *vomitibus* atque *secessibus*, postulato auxilio, alibi *adstringentibus*, alibi *sopientibus*, cito & immediate, *motibus* talibus efferis resistendum decernatur: Præsertim, si motus hi magis jam *vacui*, & vel jam *excussa* aliqua, vel per *paucitatem* & tamen *causticam* acrimoniam, *tenuius*, aut *tenacius*, *adherente* materia, adeoque *motibus* illis non obsequente, soli *conatus* inanes excedere videantur. Dum interim communiter, solo *materiæ acrimoniam* obtundente, & *sensum* rofionis demulcente, adeoque vere ad solam *materiam*, & ejus *corporeos* effectus, quadrante remedio, universo huic *motuum* tumultui, ita certo atque cito satisfiat, ut ad illos directè *alterandos*, sine quidem ulla justa occasio, nedum necessitas, superstes maneat. Unde certe hæc quoque res, pro dignitate sua, bono jure proprium *luculentæ*

Ob-

*Observationis* locum tueri potuisset : suffecerit autem nobis illam alteri præcedenti solum accensuisse.

§. XXXVII.

Observatio XXXII, occupata erit circa *simplicitatem præparationis* medicamentorum; de qua adseveramus, quod illa in longe *plurimorum* remediorum censu, non solum per naturalem æquitatem præferenda sit, variis *operositate* sola speciosioribus adparatibus: sed etiam illa *necessitate*, quod variis *operosioribus* tractationibus, vera illorum efficacia potius *corrumpatur*, aut ad multò *alios*, imo non rarissimè *contrarios*, effectus deducatur. Ubi certe *evidentiam* hujus observationis, tanto manifestiùs declarat illa animadversio, quod perita antiquitas, à quâ efficacia remediorum plurimorum, ad posteritatem commendata est, hanc ipsam deprehenderit & cognoverit, ex eorum *simplicissimo* usu, aut *levissima* præparatione. Quo intuitu absurdum profectò adparebit, veritatis hujusmodi assecutionem, *necessitati* talium præparationum alligare; quæ primis autoribus talis commendationis, ne quidem in mentem venire potuerint. Prorsus, ut illi, qui auream illam *Hippocratis* admonitionem, quâ jubet *operam dare Medicum, ut sit Physicus*; (nempe *humane nature vividas* æquè, atque *scitissimas operationes*, ad corpus *vivum, sanum, purum, atque integrum, servandum atque reddendum, benè consideret, agnoscat, sequatur, imitetur, sublevet*.) ad *Physicam corpuscularem* aut *experimentalem*, & *Chimiam*, referunt; cujus nempe tam curiosum atque conscium, quam satellitum Jovis aut Saturni fuisse *Hippocratem*, certum sit. Ut taceamus, quod absona illa *variarum* rerum, ex uno eodemque *simplici* eductarum, schemata, in nulla rationali collectione, *eidem* efficaciæ destinentur, cui vel *integrum* concretum, vel una aliqua *eminentior* ejus pars, satisfacere poterat; notissimis, *variarum aquarum destillatarum, & salium* ex ipso illorum cinere conquisitorum, è subjectis *amaris, adstringentibus*, imò plane *terreis*, petitarum: Quam rem, licet prolixè

*Zwölferus* jam dissuaserit; tamen hodieque ferè plures habet dissentientes, quam auscultantes. Neque vero dispartitio est, unde etiam peculiari loco indignam censemus, jam ab antiquis temporibus atro carbone notatæ, *constipationis* illius multorum *ejusdem efficaciam* remediorum, in unam formulam. Quam nulla certe injuria, nequaquam fatuo sale conspergit, & imperitæ diffidentiam practicum tribuit, *Paracelsus*; de prolixarum talium formularum coacervatione, & ad *necessitates urgentes* præscriptione, jocatus: Theriac, Mithridat, Philonium, und was ist mehr lang? ist etwan ein gutes drunter &c. Unde certè nimio præstabilius est, tam ad inveniendam, quam post hac sinceram obtinendam, expertæ efficaciam, potius unius aut alterius, imo si ita animo sedet, plurimum, *ejusdem* efficaciam remediorum, singulorum seorsim, insistere, quam, tamquam jurata solemnitate, multa simul confarcinare.

§. XXXVIII.

Quamvis autem ne quidem memorari digna sit, nedum inter *utilitate* sua luculentas Observationes reponi, dabimus tamen illi, sed etiam postremum, locum. Nempe contemplationi illi, *politicis* potius, imo *pseudopoliticis* fundamentis, innixæ difficultatis; quod hac ratione male prospectum foret *Pharmacopœiæ* dignitati. Quis enim non videt, quam fraudulenter ad *artem* detorqueatur, quod *hominum* solum luxum atq; fastum propriè tangit. Nempe, quid *pharmacopœiæ*, quatenus usquam *necessaria, necessitati* aut *dignitati* detraheretur, si ipsi *Medici* illam, quantum usibus illorum satis est, exercerent? aut, si utique per praxeos affluentiam, [modo desidiæ atque otii amor non majores partes sibi vendicet,] his laboribus vacare non valerent, quantus non est undique operariorum talium numerus, qui, ut modicè, & sæpe hoc ipso, citrà luxum atque fastum, honestè, vitam sustentent, adeo abunde, verè *utilibus*, nedum *necessariis*, præparationibus, suffecturi essent: ut justus potius metus sit, ne quidem è talis practici

necessitatibus, quamvis liberaliter remunerati, quantum ad *victum* satis est, reportaturi essent. Sed cum nemo hominum tam stupidus sit, quin facitè pervideat, quod *similes habeant labra lactucas, & manus manum lavet*; non tam frigidus odii metus, quàm certa inutilitas, tam manifestas res prolixius notandi, justum fastidium facit, tempus iis impendendi, imo prodigendi. Maneat itaque, si aliter fieri non amat, in vigore suo proverbium, *Mundus vult decipi, ergo decipiatur*: Dummodo nemo postremum, sibi potius dictum, quam illi relictum, interpretetur: quod, quum nemo vir bonus de altero suspicari possit, salva res est.

§. XXXIX.

Possimus plura adhuc adjicere, imprimis de *Metaschematismis morborum, & positivis practicis & pragmaticis specialioribus* commendationibus, *methodorum* atque *remediorum*; sed quum ejus modi tractatio disputationis limites excedat, non visum est tali loco atque tempore hoc institutum capessere: sed potius antè omnia, hæctenus memoratarum rerum, demum justam & solertem pensitationem commendare, ante quam ipsam, postrema imprimis illa nominata, tractatio, prorsus immatura merito habetur. Loquor hoc expertus, imprimis ipse Præses. Postquam enim tam sani status corporis, quam ægri, veriores, & Medico scopo directè exæquatæ, luculenta, & quotidiana experientia conspicuæ, deductiones, imo demonstrationes, in lucem prolatae sunt; nimio certè studio passim flagitatur, ut etiam huic amissi respondens *Therapia*, seu potius *specialior praxis*, publicè doceatur. Quamvis autem talis labor utilitate sua nequaquam planè carere possit; tamen in aprico esse putamus, quod utilitas illa, magis redundatura sit in ipsam prolixiorum *confirmationem theoreticarum* illarum demonstrationum, quam in *necessarium, Praxeos* ipsius usum aut fructum. Qui enim illud solum expectant, ut nominatim

*remedia* ostendantur, scopis illis satisfacta, quos *justus* intellectus *Theoriae* verioris monstrat; illi, ut mollissimè dicam, falluntur. Licet enim nequaquam negandum sit, & pro certo habeam, multos bonos & cordatos viros, ex ipsa praxi, cujus pro scientia atque conscientia satagant, satis comper- tum & perspectum habere, quanti aestimari mereatur reme- dium, cui *fidere* liceat: tamen, si, qua convenit atque decet, solertia, res universa aestimetur, facile erit agnoscere, quanto plus *fiduciae* collocare liceat, imo deceat, in *methodi* certam rationem, *verae* morborum *indoli* consentaneam, quam ipsa *remedia*. Unde, licet *aliqua* talia esse possint, quibus vel ipse ego acquiescere consueverim; tamen propterea a me longe semper aberit illa protervia, ut *omnia alia* damnem, aut contemnem: & *solis* paucissimis talibus; *unicè*, & nullis aliis *pa- rem*, energiam, à summo Creatore concessam esse, credam, ne- dum doceam aut propugnem. Illud autem quam maxime, uti satis scio, ita assevero, & confirmo, quod rectissimè dixerit, utut forte neque primus neque solus, "*Capivaccius*, roga- tus a discipulis, propter praxin satis feliciter ipsi proceden- tem, peculiaria arcana apud illum suspicantibus, ut illa ipsis communicare dignaretur: *Discite meam methodum, & ha- bebitis mea arcana*; Quod ita attempero; rectè intellecta at- que comprehensâ, è vera, & *pragmatica* ad medicam pote- statem, *ætiologia indolis* morborum, *methodo* horum neces- sitatibus consulendi; non valde dubium aut anxium ampli- us habere poterit Medicum, in plerisque certè casibus, ubi *inveniendâ* esse possint medicamenta, illis scopis satisfaci- entia. Dummodo ex illis fluctibus, undique propemo- dum decantatæ, *multitudinis*, *multiplicitatis*, *vehementiæ*, aut ad hanc *ancipitis* efficacisë, *multorum* remediorum; & *salutarium* naturæ conatum, sive *restrictoriæ*, sive *narco- ticiæ*, *oppugnationis*, naviculam suam, tanquam e meris Syr- tibus, aut brevibus, in altum potius eduxerit: Ubi, unica quidem *cynosura* *veræ Methodi*, sed vela felicissime afflante

divina benedictione, totius recti cursus, in hoc quoque negotio, ut autore, ita certissimo fautore, nauclero non amplius indigebunt, sed clavum ipsi peritissimè regere, *experientia exquisitâ* facile habitum conciliante, valebunt. Quod ipsis sincerè felicitis artis usus avidis, eodem candore opro atque comprecor. Siquis autem soli *Empyriæ* otiosæ facilitati atque facultati, subsidia quærit aut sperat, ille, ut ab universa mea intentione, toto certe cœlo aberraret, ita à me quidem, iniquissime illa, non dicam exigeret, sed solùm exspectatet. Quod quidem hâc satis idonea occasione publice profiteri, opportunum judicavi.

Ita vero scopum nobis propositum, æquis iudicibus attigisse probaturos, confidentes, pedem sistimus: divinæ clementiæ, pro præstita nobis gratia, humillimas laudes concinentes.

